



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 66. Novum bellum Hispanis inter & Sabaudos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. petebat. Sabaudus vero, ut Hispaniæ
 A. C. 1614. Regem sibi devinciret, filium suum Vi-
 ctorem Amadæum velut fidelitatis suæ
 pignus in Hispaniam ablegabat: ipse
 vero cum toto suo exercitu Nicæam-
 Palæam, cui Manfredus Castillionæus
 præerat, obsidione cinxit, quo com-
 perto Veneti ductore Priulo exercitum
 suum in aciem duxere, ubi Mediolani
 Præfectus cum quinque Hispanorum
 millibus sese Vincentii Gonzagæ copiis
 conjunxit: Nivernus quoque Dux mi-
 lite Gallo firmaverat Casalim, & Ma-
 rescallus Lediguerius lecta raptim le-
 gione intentabat Sabaudis minas: hinc
 Sabaudus tantis viribus impar obsidio-
 ne soluta, cum a Cæsare, & Hispaniæ
 Rege omnia hucusque occupata red-
 dere, intentatis etiam belli minis, ju-
 beretur, omnes urbes, captaque loca
 Ferdinando Duci restituere cogebatur.

§. LXVI.

*Novum bellum Hispanos inter &
 Sabaudos.*

Cum autem in concordiaë pactis nec
 de præteritorum oblivione, nec
 damnorum & expensarum compensa-
 tione facta fuisset mentio, inde novæ
 oriebantur turbæ, ac Sabaudus finiti-
 mas Montisferrati urbes munire cæpe-
 rat,

rat, confidentius petens, ut Maria Sæc. XVII.
 Princeps Mediolanum reduceretur: Ve- A. C. 1614.
 rum Hispaniæ Rex pacem redditurus,
 has præscribebat leges I. tam Sabau-
 dus quam Mantuanus Duces copias
 suas dimitterent, II. Maria Mediola-
 num transferretur, III. Ferdinandus
 relictam fratris sui Viduam sibi matri- *Strauch.*
 monio jungeret. Hisce pactis annuit *contin. Sleid.*
 Ferdinandus, sollicitantibus Hispaniæ *pag. 531.*
 Rege, & Franciæ Regina. Sabaudus
 vero oblectabatur vehementer, ac Con-
 dæi Principis auctoritate suffultus, cum
 Helvetiis, ac Mauritio Nassoviæ Prin-
 cipe armorum societatem inibat, ipsos-
 que Venetos, quibus Hispanorum po-
 tentia nimis molesta esse incæperat,
 Carletoni Angliæ legati opera sibi con-
 ciliabat. Tum primum Hispanos inter
 & Sabaudos atrox fervere bellum cæ-
 perat. Frequens utrinque committitur
 prælium, æquato plerumque damno &
 decore: vastantur agri, nudantur tor-
 mentorum globis urbium tecta & mœ-
 nia, exhauriuntur prædationibus sub-
 diti: erigitur ab Hispanis immane San-
 dovallæ propugnaculum Vercellensibus
 & Sabaudis oppido infestum: spoliatur
 Sabaudus Astensi, aliisque urbibus
 tanquam Hispaniæ feudis: denique in-
 tentata proscriptionis poena a Cæsare,
 & a Franciæ Regina arma ponere mo-
 nitus,

Sæc. XVII.
A. C. 1614. nitus est, incassum tamen: quocirca Hispani Uneliam Sabaudi portum arcemque Moranam obsident, occupantque: nec tamen adhuc minis aut damnis flectitur Sabaudus, qui insuper Venetos, Anglos, Fœderatos Ordines ac Principes huic bello implicare, atque in sui opem allicere tentabat, irrito licet conatu. Tandem vero Savellius Papæ Nuntius & Rambolietus Regis Galli Legatus iterato pacis condiciones proposuerant, quas etiam Sabaudus haud cunctanter acceptabat, Hispaniæ vero Rex omnino rejiciebat, iis insistens patris, quæ ipse antea præscripserat. Eapropter hoc bellum usque ad annum Domini millesimum sexcentimum decimum nonum protractum est.

§. LXVII.

Continuata dissidia circa Juliacensem successionem.

Merc. Gall.
tom. 10. l. 2.
Ferrer.
Hisp. Hist.
tom. 11. c. 2.
§. 116. Interim inter Palatinum & Brandenburgensem Duces ex ipsa Religionis diversitate animorum dissensio augeri videbatur. Equidem jam ineunte Mense Aprili de controverso Juliacensi negotio Principum Conventus Namburgi in Thuringia irritum tamen successum habebatur. Hortabantur etiam utrumque Ducem ad concordiam non pauci Electores